# I. B. GRAMAYE
# ANTIQVITATVM GANDENSIVM
## VOLVMEN ALTERVM,

In quo illuſtrata opida ſubſidiaria Gandæ, imprimíſque

CORTVRIACVM.




ANTVERPIÆ,
Ex Typographeio HIERONYMI VERDVSSI
CIↃ IↃC XI:

Digitized by Google

AD. VOS,

# NOBILISSIMI,

## AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, REIPVBLICÆ CORTRACENÆ PATRES,

*Veſtrumq́ Pratrocinium Liber hic mittitur.*

QVI QVA ESTIS IN VRBIS ORNATVM DILIGENTIA,
IN REIPVBLICÆ REM ET HONOREM SOLLICITVDINE,
IN VIRTVTES ET PIETATEM AFFECTV,
IN HVMANITATEM ET ERVDITIONEM PROPENSIONE,
SCRIPTVM HOC DE VRBIS, REI PVBLICÆ ET SACRÆ ANTIQVITATE, ET LAVDIBVS SCRIPTVM

BENEVOLE SVSCIPIETIS

A mente & manu clientis veſtræ Flandriæ,
& in ea veſtri I. B. GRAMAYE.

Digitized by Google

I. B. GRAMAYE.

OPIDVM hoc agri amplitudine pagos 67. complectente, in Comitatu Franco-Flandriço, ſitus ad vtrãque Lizæ,& Manderæ ripam oportunitate, ante alia Flandriæ, dignitate,cõſeſſu,authoritate, & titulo,poſt Metropoles ſiue quatuor membra primas omnium ſuffragij obtinẽs, antiquitatis etiam laudem habere imprimis doctum eo. Nec id friuolâ coniecturarum fide, ſed certâ diplomatum probaturus, præteritis Gordunis, (quos perperam hîc collocatos à nõnullis Gandauo aliàs aſſerui) *Centrones Neruiorum* apud Cæſarem *clientes* hîc ſediſſe. Errat enim Hubertus Thomas Leodius in Hasbania eos collocans, loco vbi nunc Trudonopolis viſitur, reclamante non tantùm ſitu regionis lõgiſſimè à Neruijs,& proximè Eburones, ſed etiam reſcripto *Ottonis Augusti ad Annum 962, pro cella S. Trudonis in Sarcinio ſuper fluuium Ciſindriam* dato, omnibuſque ad vnum Abbatiæ & opidi Trudonenſis codicibus & monumentis,clarè oſtendentibus locùm iſtum olim quidem **Sackingen** / poſtea à Tutelari *Trudonopolim*.fuiſſe nuncupatam. Pro Cortracẽſibus autem facit authoritas Diuęi,Molani, Goropij ſummorũ Virorum Centrones hîc ſtatuentium, niſi quod falſò hunc ſecutus Ortelius *Curtracum* ad Schaldim nominet,quod Lizæ incubat. Facit eodem vocabulum populis à centro inditum, quòd in medio clientium Imperij Neruici habitarent. A centro dixi (ne quis Belgicæ gentis nomen è Romano fonte trahentem explodat) voce Germanica idem pæne, quod centrum Latinis ſonante. **Kon** enim ſiue **Kont** circulum; **Ken** ſiue **Kern** medium alicuius rotundi ſignificat; vnde granum pomi medio, cardo circa quem voluitur appendiculum **Kernen** appellamus. Quamuis nec ita abſurdum videri debeat populis Romanam inditam appellationem,qui

*Situs opidi*

*Dignitas.*

*Antiquitas*

*Centrones hic habitaſſe.*

*Non autem in Hasbania.*

*Error Huberti Thomæ item Ortelij.*

*Etymon Centronum.*

*Centrones in Graijs Alpibus.*

potuerint è Graijs Alpibus (vbi Cæſar & Antonius alios *Centrones* deſcribit) Italiæ obuerſis deſcendiſſe, & has Neruiorum beneficio ſedes accepiſſe, & patrocinio ſeruaſſe.

Sed hæc coniectura eſt, inquies, tantùm probabilis. Dabo peremptorium, & habitationis veſtigium ex diplomate Cameracenſis Eccleſiæ eruam. Datum illud ab Ottone Cæſare ad annum 944 vbi inter alia *Fratribus ad honorem glorioſæ Virginis cælorum Reginæ congregatis apud Camaracum Caſtrum aſsignatur in Curteriaceſi pago Mons ceuteron dictus cum omni decima & indominicato, &c.* Mons Ceuteron (Moſcron nunc vocatur veteri Dynaſtia & Arce diruta nobilis) quaſi montem Centronum dicas; bene enim notauit Ortelius in pleriſque Cæſaris codicibus pro tertia littera n legi u Metamorphoſi hercle minori, quàm ſit illa Pliniana, vbi pro Centronibus *Acitauones* leguntur. Hoc itaque veteris illorum habitationis indubitatum veſtigium *in pago Curteriacenſi.* Galli quippe prouincias in pagos diſtribuentes, pagis mutuata populorum, aut ciuitatis primariæ nomina indebant, & è poſteriorum genere Curteriacenſis non à populo *Centronum* cladibus ſuis obruto, & velut altâ obliuione ſepulto, ſed à *Curtriaco* Opido primario rationem nominis accepit. Primò quidem declinante in Belgica Romanorum imperio, totus hic Lizæ ſiue Legię tractus parebat *Turnaco* Neruiorum, indeque *pagus Tornacenſis* vſque Gandauum extendebatur, teſte Meiero, ſed poſtea magis ampliter habitata regione, cœpit à *Cortracenſi Metropoli* pars pagi Tornacenſis diſtinctam iuris & nominis dictionem nanciſci: & hinc factum, vt Blandinium nunc in *Tornacenſi*, nunc in *Corturiacenſi pago* ſitum in diplomatis annotetur. *Metropolim Cortracenſem* indigetaui non ſine auctore Audoëno nimirum, B. Eligium ſcribente *Nouiomenſi, Tornacenſi, Flandrenſi, Gandenſi, Curtracenſi Metropoli præfuiſſe*: vnde amplius colligas hanc noſtram ſeparatam fuiſſe à Flan-

*Mons Centeron.* — *Moſcron pagus ſuper Cortracum.* — *Centrones Acitauones.* — *Pagus Curteriacenſis.* — *Vnde dictus* — *Pagus Tornacenſis.* — *Explicatus Meierus.* — *Cortracenſis Metropolis.*

Digitized by Google

à Flandria, Tornaceſio; & Gandenſibus. In quo ſitam *Vil-*
*lam Singenhem cum manſis decem & Eccleſia & reliquis appen-* Singen.
*dicijs* confirmans Cœnobio Bauonenſi Lotharius Rex anno
regni 12 indictione 10: In eodem Carolus Comes ſituata
*Beuernaert*, & *Pherſelem* an: 1120. Blandinienſibus attri- Beuerr. Werte-
buens: Meierus ad annum 956. in eodem collocans præter gem.
*montem Blandinium Villas Eliſachra, Aldenghem, Holthem*
Cœnobio Gandenſi allatas ablataſque. Hi inquam & om- Elze-gem.
nes alij manu nos ducunt ad verorum veteris pagi Cortu- Ouwe-
riacenſis limitum cognitionem. Ita vt nullam ex ſupra-di- gem. Cruyſ-
ctis Villis niſi inter Schaldim & Legiam reperiens, audacter holte.
ſtatuam hos terminos: & velut olim Liza Pleumoſios, *Limites prouinciæ*
Schaldis Atuaticos excludebat, ita poſtmodum Lizam me- *Centronum*.
dium Menapiſco, Schaldim Bracbantenſi, confluuium
vtriuſque Gandenſi, & Flandrenſi, paluſtria Peuelano &
& Melanteſio (ſimiliter è Tornacenſi procreatis) pagis ter- *Item Pagi Curtracen-*
minos fuiſſe, & medium Corturiacenſem concluſiſſe illum *ſis.*
ab opido, ſicut hoc à traiectus Lizani compendio Neruijs
Audenburgum tendentibus, nuncupatum. Quamuis enim *Cortraci Etymon.*
ſtabiliti à nobis in Ganda Gorduni videri potuiſſent agge-
rem hunc ſibi oppoſitũ velut **Gortrijck** appellaſſe: Quam- *Non à Gordunis.*
uis etiam nummus Traiani & aliquot M. Aurelij & vnus
Neruæ pronuper in præurbio Cortracenſi reperti, & Dyna-
ſtę Cominæo donati anſam prębere poſſent ſuſpicandi, non *Nec à Tra-*
abs re ceciniſſe Meierum de Cortraco, quòd *iani Curia.*

*Olim Traiani Curia dicta fuit.*

Quamuis denique ea, quæ de terminationibus obuijs lo-
corum in *acum* Latinis, **ijck** Teutonibus, *ay* Gallis alibi an- *Termina-tiones in*
notaui, alicuius eſſe poſſent; tamen neſcio an ſitum opidi *acum,*
ſeriò æſtimanti vlli aptior videri poſſit originatio, illâ quæ ſe- ay, ijck.
cum opidi docet conditum & conditionem.

Lizæ enim iniectus pons ad mercatorum commodita- *Pons &*
tem accolas littoris inuitabat hîc potiſſimùm fortunæ ſuæ *Traiectus Lizæ.*

 ſtabilire

Digitized by Google

ſtabilire domicilia, vbi commeantium & commerciorum
aſſiduitas rei familiaris augendæ perpetuam daret occaſio-
*Inſula Lizæ opidum vetus tenebat.* nem. Itaque coaluit populus, & contra vim deniquè ſe mu-
niuit, quod magis procliue erat, aquis, fluuij aliqua parte
inciſis agris deriuata, quæ poſt paululum alueo ſuo reſtitu-
ta inſulam faceret. Sed quando & quo auctore hoc fa-
ctum nemo tradidit, præter Ioannem Bouchet in Chroni-
cis Aquitaniæ, vitam Caroli Calui Regis referentem opida
*De cuius auctore quæſitum.* *Gandauum*, *Cortracum*, *Aldenardam*, *Caſtetum*, condita ab
Odoacre II. Flandriæ Saltuario mortuo 827. Harlebecæ
prope Cortracum ſepulto, quam ſententiam iuuat Philippi
VVielandi Equitis Domini D'euerſbeke/Concilij Flandriæ
quondam Præſidis in libro, cui titulus *Inſignia Nobilium
Flandriæ*, aſſertio. Ait enim, *Dominos & fundatores Vrbis*
*Inſignia fundatorũ Vrbis.* *Cortracenſis geſtaſſe ſcutum argenteum, cauterio & orâ circum-
dentatâ rubris ornatum, & Symbolum vocale habuiſſe: Harle-*
*Item Symbolum.* *beca*, haud dubio, quia conditor opidi Harlebecæ Dynaſta.
Si tamen lubet noſtratibus etiam ſuffragium dare Meierus
ad annum 880. Iperium ſecutus, B. Rhenanus annalium
fidem allegans, Molanus c. 9. militiæ ſacræ vbi de Pipino
*Ad Normannos relata primordia.* ſecundo, conformiter tradunt *Sueuos Flandrorum populos &
Menapios à Normannis Cortraci hibernantibus ad internecio-
nem deletos, vti in Hiſtorijs Francorum memoriæ proditum eſt.*
Vnde colligas Barbaros hibernantes locum aut munitum
occupaſſe, aut occupatum muniuiſſe. Illis porrò dilapſis Bal-
duinum iuniorem ſiue Barbatum, vt vult Oudergeſtius, ſiue
Arnulphum Comites certum eſt *Arcem Cortracenſem* re-
ſtauraſſe, illam à Balduino Conſtantinopolitano Collegio
12. Canonicorum ornatam, etſi Meierus videatur innuere,
deſtructam fuiſſe cùm *capitulum* fundaretur, referens, *loco
vbi vetus Caſtrum fuerat, Eccleſiam inſtructam.* Huius locum
& amplitudinem, codex cenſualis Capituli ſatis oſtendit, &
ſententia Tornaci pronunciata an: 1451. Maij 28. hæc nar-
rans

rans Ioannem Iſegemium ante 20. annos defunctum ſibi comparaſſe domum in Villa Cortracenſi loco antea **Ouden Caſteel** dicto, qui nũc **onſer Vrouwen-ſtrae** dicitur; ille iuxta quem an: 1398 Dux Burgundiæ molam habebat aquaticam: domos latè vltra forum deſignans omnes ratione Dominij fundi in Caſtro à Comitibus Eccleſiæ transſcripti ſolidos aliquot pendētes. Structuræ porrò veteris nihil reliquum ſupereſſe, præter portam nunc Canonicorum olim Caſtri dictam, & rudera ingentia ſubinde fodientibus ſub terra obuia, tantaque firmitate compacta, vt vix vlla arte poſſint ſeparari.

*Dominium fundi* dicebam Canonicis attributum, omnimodum intellige an: 1411, cùm Ioannes Burgundio illud abdicauit, Canonicis in vicem remittentibus 800. menſuras auenæ mollis, quas **Hoits** vocãt, olim ſibi à Ioanna Comitiſſa relictas. Aliquale autē iam inde à prima fundatione acquiſitũ, cuius ratione foſſarũ & portæ Caſtri ius ad ſe ſpectare contendentes, aliquamdiu cum Senatu ſunt altercati, cõtrouerſia an: 1358. deciſa. Seruiebat olim hoc Caſtrũ habitationi Comitum, qui etiã potiore eius parte Sacris vſibus applicatâ Cortraco interim delectati, *domum pratoriam* ibi ſuam habuerunt. Ita nimirum legis Margaretam principem an: 1244. Menſe Februario Beguttis Cortracēſibus aſſignare 60 ſolidos *ſuper prato* (notanda verba è quibus palatij locus noſcitur) *circa domum noſtram*, inquit, *Cortraci*. Ita Beatrix vidua Guilielmi Dampetræi, teſte Oudergeſtio capite 128. aſſiduè Cortraci in *ſuo degebat palatio*, & Robertus Comes an: 1289. Filiæ Iolētidem cum dote 19000. librarum Pariſicarum dedit Galtero Anghiano *Cortraci in camera ſeu cubiculo Comitis Flandriæ*. Ita, teſte Meiero, Luduuicus Comes an: 1323 Cortraci diuerſabatur an: 35. ibidem Gandenſes in gratiam recipiebat: an: 38. nobiles infernatis Flandriæ eò euocabat. Imò anno 1439. ſupremum prouinciæ Senatũm Philip-

*Dominium Caſtri.*

*Foſſa & porta eius.*

*Palatium Comitis Flandriæ. Hic frequēter diuerſati.*

Digitized by Google

*Conſilium Flandria hic.* *Et moneta Comitis.* *Pars Caſtri Curia feudalis.*

Philippus Dux eò tranſtulit, monetã etiam an: 1192 ſtabilitam, denarij & ſolidi *Cortracenſes* nomen ſeruantes, & in diplomatis ſæpe obuij. Vlterius habet Caſtrum ſupradictum *Pares* ſuos, *homines*, id eſt Vaſallos ſuos, & *Curiam feudorum* inſignem *Caſtellanum* etiam ſiue Vice-Comitem olim hæreditarium, cuius generis inuenio an: 979. ***Dilbodonem***

*Caſtellani*

Præfectum ſplendido ortum loco (verba ſunt Meieri) contempta nonnulli Principis ætate coniurationem facere multitudinis, omnemque Curtracenſem *Comitatum* (notanda vox Comitatus) aſſerere, ſed cùm non diu poſt moreretur, rebellio tandem à Comite extincta eſt. Valnerum an: 1085. peregrinationi Hieroſolymitanæ cum Roberto Comite vacantem, apud Meierum, Sigerum an: 1096. in militia ſacra Duce G. Bullonio proficiſcente. Margaretam Flandrenſem an: 1091. *Sacellum Deiparæ & SS. Martini & Nicolai*, in monte Blandinio (teſte Epitaphio eius) *reincipientem*. Galterum an: 1111. ſubſcribentem legi talionis per Comitẽ Balduinum ratæ. Rogeriũ an: 1144. de cæde Iuvani Calui Aloſtenſis Reguli notatum. Et cognominem eius filium an: 1194. Comiti poſt cladem acceptam conciliatum, qui antea an: 1175 (teſte Oudergeſtio) Philippum Comitem in Palæſtinam comitatus, & an: 1183. libertatis Dammenſis priuilegium firmauerat, & alteri Cortracenſium priuilegio an: 1190 ſubſcripſerat. Margaretam filiã Guiſnenſis Comitis an: 1222 defunctam & VVeuelgemij fundato à ſe Cœnobio ſepultam. Galterum Neuelanum an: 1284. in Iunio Ioannæ Beueranæ deſponſatum, aſſignata per fratrem Theodericum D. Dixmudæ & Agnetem eius vxorem dotali terra de *Pouſſiela* & feudo de Dixmuda, eundemq; an: 1290 cõceſſioni fortificationis Gandenſis decreto ſubſcribentem contra placita pacis an: 28. cũ Rege Philippo factę magnas Cortraci munitiones excitantem: & an: 1297. promittere 1800. libras Pariſienſes in ſupplementũ Dominæ Beatricis de Brabantia

*Curtracẽſis Comitatus.* *Sacellum Caſtellani in monte Blandinio.* *Libertas Dãmenſis.* *Filia Comitis Guiſnenſis.*

***Domina***

*tracenſis*,id eſt vſufructuariæ.Et manſit deinceps penes Neuelanos hæc dignitas ab expeditione Sacra crucem rubeam ſcuto candenti pro inſigni adeptos.Cæterùm quando hęreditaria hæc dignitas eſſe deſierit,& an in M. Baliui munus & nomen tranſierit, necdum mihi ſcire contigit. Videntur ſanè ab illa olim profluxiſſe officia Prætoris, Scolteti, Amanni, etiam hæreditaria: primum An: 1320. ſecundum An: 1348. cum agro dicto Neueldrieſch longè lateque extenſo verſus capellam S. Georgij, à Ioanne Giſtellano Domino VVaſtinenſi & Neuelano & Margareta Lõgeuallenſi, eius coniuge tertiùm à Valeranno Luxenburgico ſani Paulini Comite An: 1339. tribus Francorum millibus Comiti venditum. Cęterùm quamuis primogenitorum, vt fit, per nuptias ſtemma Cortracenſium in filias dudum deſierat, & cum eis dignitas ad Neuelanos deuenerit, tamen primigenium in ſecundò genitis nomen & ſanguis dudum adhuc perſeuerauit. Et hinc fuit Cortricinus ob præfecturam Inſulenſem An: 1302. cum elogio *fortis & nobilis Equitis* Meiero nominatus. Sigerus Curtracenſis ob ducatum Gandenſium An: 1325. ( *cuius fortitudo hoſti formidinem incuſſerit.*) An: 1337. à Rege Philippo captus,& velut auctor fœderis Anglici Brugis decollatus. Sigerus Cortroiſin ob Dominia Mellenſe & Herſeauenſe An: 1394. defunctus relictâ vnicâ Iolétide nupta Othoni Barẽs Domino de Moucron, Robertus à militia clarus An: 1410. Sancta Vxor Percheuallij de Houcqueron ob filium Gerardum & filiam Mariam An: 1400. Danieli à Lacs D. de Caprijck Quęſtori Ducis nuptam.

*Filia Duci Brabantiæ Domina Cortrac.*

*M. Prætor.*

*Scoltetus.*

*Ammãnus*

*Familia de Cortraco.*

*Viri ex eo clari*

Hi omnes à *Cortraco* ſiue *Courtroſiani à Flandria* dicti *canterio ſiue tigno*(vt VVielandus loquitur) *vno vel pluribus pro inſigni gentis vſi* in colore ( qui mos olim obtinebat) diſcrepantes, ramos diſtinguebant quidã poſt nuptias cum Flandris,vt cognomen ita vmbram Leonis adijcientes.

*Inſignia gentis.*

Atque hæc ſuffecerint de Veterrimo Cortraci Caſtro, cuius gloria nonnihil obſcurata eſt extructione nouarum Arcium. *Noua Arx ſtructa.* Quarum vna per Iacobum Caſtellionem Gallorum Præſidem excitata an: 1301, haud multo poſt à Flandris occupata, à Philippo Rege præcedentium annorum & cladis & obſidionis ignominiam expiaturo an: 1317 dirui iuſſa *Deſtructaq;* nec vnquam reædificari. Promiſſum hoc quidem, ſed illud factum tantùm. Inuenio enim litteris Regijs anni 1337 iterum factam poteſtatem Cortracenſe Caſtrum reſtaurandi, *Reſtaurata* & mox permiſſum executioni mandatum, eò quod Comiti in nouo Caſtro à Senatu vinum oblatum an: 1343 referant opidi rationes certiſſimo argumento eam tum ſtructam fuiſſe. *Eius ſitus* Situm erat vbi viſitur retro Noſocomij hortos inſignis flumine cincta eminentior in quadro planities, ne temere credamus aut Oudergeſtio, aut etiam Marchantio aſſerentibus reſtitutum tam hoc in loco antiquiſſimi quàm tertium, *Notatus Oudergeſtius & alij.* de quo mox dicam, in veſtigijs ſecundi.

Miror interim neminem tradere qua occaſione aut fato ſecundum hoc interciderit. *Arcis ſecunda diruta tempus indagatum.* Suſpicari liceret aut incendio anni 1382 abſumptum fuiſſe, aut turbis iſtis ſub Maleano dirutum & ſuſpicari tantùm. Hoc certum Philippum Audacem Burgundiæ Ducem an: 1385 paulo infra locum ſecundæ Arcis iam dictę, tertiam coërcendis potiſſimùm Gandenſibus erexiſſe, *Structa tertia.* cui oppoſitam planitiem intra & extra muros opidi ampliter extenſam, cum portione fluminis præterlabente Ioannes Dux aſſignauit, & Gubernatorem *Eius Gubernatores.* pro arbitrio dare cœpit. Quales an: 1438 Latinus Voniglandius Comes ſtabuli Ducalis, an: 1474 Dominus de Beaumanoir: an: 79 Gulielmus Baro de Heules & Leevvergem: an: 91 Dominus de la Mouce an: 95 Galienus de Lannoy: an: 1501. Frãciſcus Grachtius Baro Guyſananus: an: 1540 Fr: Grachtius D. Maelſtedæ. Nunc Caſtri opidique Præfecturam obtinet Fr. Damantius Eques & legatus aurei

Velleris

Velleris vir Nobilis. Et obſeruabis munus vtrumque vltimis hiſce temporibus ſæpe iunctum, vix niſi magno loco natis delatum. Quod vt clarius euadat Prætores ſiue Summos Baliuos Vrbis & ditionis huius quos reperi dabo. Ioannes de Flandria an: 1260. Galterus D. de Hames an: 1272 Henricus Meerkerckius an: 1328. Ioannes Vichtius Dominus. Nievvenhouiæ an: 1334. Daniel Nikercanus an: 1336. Thomas Schoonvelt an: 1390. Iacobus Lichterueldius D. Coelſcam Eq an: 1392. Iacobus Meerkerkius an: 1400 & eiuſdem ſæculi anno 12. Ioannes Ogierlant. 13 Luduuicus D. Mourbecæ & an: 11 Ioannes de Stauele D. Iſegem. 17. Luduuicus Haueskerkius. 22 Gulielmus Holbecanus 23 Hector Vocholtanus. 32 Theod. Barens D. de Moucron. 38 Gerardus de Giſtelle Eq. 44 Ioannes D. Mourbecæ. 48 Iacobus Scaecqz Eq. D. de Hames & Scardavv, 65 Philippus d'Oignies. 66 Iodocus de Varſenaer Eq. 67 Ioannes D. de Hames 69 Egidius Bauelaer, 72 Robertus vanden Hoede. 74 Ioannes Bael: 76. Gerardus Coyegem D. de Haleumis, 77. Ioannes D. de VValle. 85 Iodocus de VVoeſtijn. 92 Iodocus Baens. 95 Ioãnes de Giſtele D. Mottæ. Et poſt annum ſeſquimilleſimum ſecundo}, Petrus Leonis. 5 Ioannes Giſtellanus D. Mottæ. 7 Anthonius Barens D. Moucron. 14 VVilhelmus Claerhout D. Coolſchampij & Putthemi. 17 Ioannes D. de VValle. 22 Anthonius Barens iterũ. 28. Petrus Boukart. 32 Luduuicus de Giſtelle D Mottæ. 34 Luduuicus Georgius D. Ælbekius. 37 Petrus Boukart iterum. 48 Ioannes Vichtanus D. Nieuvven-houiæ. Ferdinandus Barens. 56 Philippus Liedekerkius D. de Heeſtert, Euerſbeke, *&c.* Franciſcus Scouteta Eq. D. de VVerp, Laerne, VVondege.n, *&c* 79 turbarum tempore Ioannes Pottelberch. 80 Franciſc. Halevvijn D. Zuueuegem omnes vt videtis notarum ſtirpium.

*Series Prætorum Cortracenſium.*

A Caſtris ad Vrbem progredior, id eſt, ab ouis ad pullos, *Vrbis initia*

&quamuis dubio procul ſit, ante & poſt Normannorum tempeſtatem Caſtri præurbia frequenter habitata fuiſſe, tamen ego certa duntaxat & illuſtria daturus, auſpicabor ab æuo Balduini iunioris, qui an. 958. nundinas cum ſolenni mercatu diebus Lunæ & Veneris Cortraci reperitur ſtabiliuiſſe & ius municipale condidiſſe, & Philippi Elſatij an: 1190 ciuibus & aduenas etiã ſeruos poſt quadrageſimum habitationis diẽ Cortraci liberos declarantis, onere ſeruitutis remiſſo ſoluturis duntaxat duos nummos Pariſienſes ad opus D. Virginis Tornacenſis. Confluxerunt enim immunitate allecti plures, & apparet ex veſtigijs murorum alibi extantium ad vtramque Lizæ ripam ciues vicatim habitaſſe, munitos ad meridiem aquæductu ex Liza deriuato, & partem veteris opidi inſulam faciente, aliaque parte muris an: 1290 perfectis. Poſtea creſcente incolarum numero, habitatiſque paſſim ſuburbijs an: 1345. poteſtas à Comite facta producendi pomœrium, & loca muniendi, inſtituto ad hoc curto vectigali. anno autem 1386 Inſulis Philippus Regis Franciæ filius Burgundiæ Dux permiſit augere opidum ad ſeptentrionem, vbi ante turbas fuerant ſuburbia, ſcilicet à flumine *vſque ad capellam dictam Hoſpitalis* redempturis interim ſuo ære agros occupandos, ad ſtructuram Arcis verſus Inſulam, ſecus flumen, loco vbi turris dicta *l'eſtancq* ſita fuit, & ſoluturis biennio proximo 2000. Florenos aureos in munitionem Caſtri inſumendos, & vſurpaturis Ius vſui partem prati Comitis, *Broyl* dicti, quantum contigerit muris concludi, & ad murum foſſaſque eſſe neceſſariam. Mox itaque ad opus ſe accingentes ſequenti maximè ſæculo rebus lautioribus, & nonnunquam pace lætioribus magno animo ornatum & munitionem opidi procurarunt.

[Margin: De Doppley. — *Incrementum.* — *Item alterũ* — *Turris l'eſtancq.* — *Pratum Broyl.*]

Sed cùm ne ille quidem ambitus capax eſſet grãdeſcentis fortunæ Cortracenſis, & ſuburbia bina Vltra-Lizanum & Vltra-

[Margin: *Præurbiorũ munitio.*]

Digitized by Google

Vltra becanum ampliter excolerentur, Philippus Dux an: 1453 permiſit inchoatas leuiter eorum munitiones abſoluere, eodemque anno muris à Caſtro ad Broylum vſque cum quatuor turribus ſurrexit, porta media, quam Lizæ vocant, an: 1400 inchoata, & tota velut ciuitas nouis aut renouatis veſtita mœnibus intrà paucos annos ſplendidior apparuit. an:1457 turris quam *nucis* vocant, ad meridionalem plagam centum ante annos fornice tenus ſtructa, duabus augetur fornicibus adq; altitudinem 76 pedũ attollitur, vt ſpeculæ loco eſſet, aliaque firmior in *Broylo* ſtruitur, tertiaque cum cataractis è viuo lapide ad molam S. Spiritus in campo *Neueldrieſch* cœpta, an: 62 abſoluta. Quarta item ad portam Canonicorum an: 86, munitiſſima etiã *l'eſtancque* dicta inter portas Tornacenſem & S. Ioannis erecta. Aliaque ad portam lapideam an: 1425. Anno autem 1511 fundamenta portæ lapideæ cum 2 turribus, & propugnaculum ex aquis eductum. an: 1516 murus poſt templum D. Martini à fundamentis renouatus, alijque aliquot. Pontium Lizæ duabus munitus vtrimque turribus inferior ſtrui an: 1411 cœptus, 1413 perfectus ſumptu 10000 coroualorum: ſuperior auſpicalẽ lapidem ponẽte Rogerio de Maldegem Præpoſito ex ligno lapideus factus an: 1465. Curia in fori medio, amoto veteri opere poſt incendium anni 1382 adaptato, quoad anteriorem ſui partem an: 1418, auctaque fundis domuum adiacentium & ædificio Leonum dicto an: 1519, frontiſpicio à fundamentis renouata an: 1526 ſolido lapide & ſtatuis Comitũ deauratis, alioque apparatu ſectili eſt exornata. *Prætorium Caſtellaniæ* non contemnendi operis vna contignatione an: 1607 auctum, inſignia præferens 5. virgarum, vt vocant, aliaque emblemata.

*Porta Lizæ* · *Turris nucis.* · *Cataracta.* · *Porta lapidea.* · *Pontes Lizæ.* · *Curia.* · *Prat. Caſtellanæ.*

Hallæ veteres turri altiſſimã an: 1513 quòd ruinam minaretur, vſque ad 2 tæniam dejecta, & horologio olim inſtructæ cantatiſſimo, quòd 24 horas interdiu noctúque

*Hallæ.* · *Horologiũ*

Noua Hallæ. ſonabat poſt excidium Vrbis Philippus Dux an: 1382. Diuionem tranſtulit. Nouæ porrò ad vſus pannificum an: 1411 ſtructæ, auctæ poſtmodum, an: 1547 ornatæ, ſpacioſæ admodum longitudine 271, latitudine 75 pedum, quarum pars ſuperior officinis linificum, inferior nundinis nuptijſque ſubſeruit. Forum Boarium Forum Boarium cöempto ad annum 1426 loco, ex agro in Vrbem tranſlatum.

Piſcarium. Forum piſcarium etiam ſub idem tempus diſpoſitum, & macellum, domuſque Gildarum pronuper ædificatæ. Ita vt nihil ad ornatum Vrbis deſiderari iam tum potuerit, & ne ad firmitatem aliquid deeſſet impetrato ad annum 1543 Munitiones priuilegio & 1549 confirmatione ſenſim munitiones acceſſerunt, nominatim mœnium an: 49 turres & faſtigia, an: 77 & ſequenti 8 propugnacula è ceſpite ad exterioris, 2 ad interioris opidi defenſionem. Auctæ etiam foſſæ antemurales, & mœnium procurrëtes fimbriæ. Ita vt modò inter meliora Comitatus opida meritò cenſeatur. In meridionali Deſcriptio opidi. parte Flandriæ teutonicæ ſitum, & gallicanam reſpiciens, forma ouali à ſeptentrione, ad meridiem nonnihil in cliuum ſurgens. Liza abluitur ex aduerſo Caſtri in duos diuiſo alueos, altero vrbem, altero mœnia perlabente, ea commoditate, vt nauigia rectis malis tranſmittantur, qui in egreſſu opidi reunitus ſuburbia ſecat.

Caſtrum. Caſtrum ab occidente forma quadrata, foſſis præaltis, egreſſu duplice, decem ſublimibus è viuo lapide cœlo minatur turribus. Ciuitas interior Ciuitas interior foſſis, aggere, & muro latericio vna cum 27 turribus, & 2 è ceſpite propugnaculis Portæ. oportuna ad quoſuis inſultus eludendos. Portas habet quinque, totidem latioribus reſpondentes plateis, ad forum grata mundicie conſpicuum ducentibus. Ad ſeptentrionem & orientem duo habet præurbia (neapoles meliùs dixeris) adæquantia magnitudine & munitione opidum vtrumque duabus firmiſſimis portis patens: alterum

Tranſ-

Digitized by Google

Trans-Lizanum aggere perpetuo, v. propugnaculis & foſſâ aquis ſcatente munitur. Alterum Vltrabecanum flumine duntaxat diuiſum tribus propugnaculis, aggere & foſſâ ſimilibus clauditur. Vtrumque è propinquo reſpicit prata amœniſſima æſtiuis diebus lineorum pannorum ſoli expoſitorum dealbationi ſeruientia. Vt non immeritò Vrintzius noſter canat: *Suburbia.* *Prata.*

*Luſus Vrintzij.*

*Qui breue me regnum dixit, nihil ille fefellit,*
*Liberior nulla regnat in Vrbe lepos.*
*Non ioca, non rythmi, Veneresq́ſaleſq́ faceti,*
*Quilibet has largè poſſidet Irus opes.*
*Audit & intendens operi ſubtilis Arachne,*
*Miratur ſtamen pronius ire ſuum.*
*Doctior haud alibi percurrere pectine telas*
*Et mirè intextis ludere imaginibus.*
*Excipit has leui qui flumine Liza per vrbem*
*Labitur, & toto longiùs orbe vehit.*
*Inſtratos ridere putes niue & arte nitentes*
*Ridentis genium ſcilicet Vrbis habent.*

Ad rempublicam quod attinet, præter *Magnum Baliuum* tam Vrbis quàm Caſtellaniæ primarium in 67 pagis & Vrbibus 4 iuſtitiam, ſaltem prçueniēdo adminiſtrantem Scolterū iuri dicundo intra muros, *Locum-tenentem* in Curia feudali præfectus, *Amannus* eſt, & ſuum habent D. Vicariū, omneſque ſolent è nobilibus & ferè hæreditarij eſſe. Vltimus enim Amannorum hæreditarius VValeranus, Luxemburgicus ſani D. Pauli Comes an: 1339 munus id Comiti vendidit. Vltimus Scoltetorum Ioannes Giſtellanus Niuelæ Dynaſta an: 1348 dignitatem eidem tranſſcripſit. Vltimus Rationariorum Caſtri. (Locum-tenentes feudorum ſic appellati videntur) Ioannes Claerhoutius an: 1247 feudum ſuum

*Reſpublica.* *Iuſtitia adminiſtri.* *Rationarij Caſtri.*

ſuum ad manus Comitis repoſuit. De magnis Baliuis ſupra dixi Conſtabat porrò Senatus olim ſeptem Scabinorum Collegio, 24 Conſiliariorũ (Tribunos meliùs dixeris ex plebe) perpetuorum, Senatu in locum demortui alterum ſubſtituente, è quibus Præpoſiti 2. annales aſſumebantur, prout in confirmatione priuilegiorum an: 1324 narrat Comes. Mutatus autem Scabinorũ numerus per Comitem, & an: 1359 auctus vſque ad tredecim, totidemque fuiſſe conſtat an: 1387 & alijs. Anno autem 1400 & 1418 iterum ad ſeptem redacti, an: 1422 denuo ad tredecim an: 1429 rurſus ad ſeptem, & denique ad nouem, quæ ratio perſeuerauit vſque ad annum 1540, cùm authoritate Cæſarea omnis reip. ferè ratio eſt immutata, ſtatuto vndecim Senatoribus Collegio, cui *Burgi-magiſter* præeſſet, abrogatis & Præpoſitis & Conſiliarijs. Et habent hi vt cognitionem omnis generis cauſarum, ita plenam in ciues eorumque res etiam alibi in territorio Cortracenſi vt Opidis eius, exiſtentes, etiam habitantes iuriſdictionem, & illi eorumque actiones ad Senatum euocari poſſint à quocumque tribunali.

*Forma ſenatus.* *Varié mutata.* *Carolina ſanctio.* *Priuilegium Ciuium.*

Ad minores porrò cauſas ſine ſtrepitu decidendas ſeptem viri cooptantur, parique & numero & munere fuerunt an: 1385. Ad pupillares quaterni aſſumuntur bini è primis Senatu defungẽtibus, & totidem à Cõmiſſarijs Principum electi priuilegio an: 1497 muniti. Ex ſubſidiarijs porrò & miniſterialibus reipublicæ. Quæſtores ſunt an: 1387 duo, an: 1392 vnicus, & rurſum annis poſt milleſimum quadringenteſimum 8.23.25.32. & alias ſæpius duo. Scribæ autem duo ferè poſt annum 1408 fuerunt, ante an: 1400 vnicus. Syndici ſiue Iuriſconſulti Penſionarij Ciuitatis noſtrâ memeriâ duo, antea vnus extitit. Cæterùm cùm Senatus pars melior olim conſtari ſoleat Viris Nobilibus & patricijs, ego aliquot velut in exemplum proferam. Ex veteribus hîc natis gens *Tolnaria* claros armis recenter Franciſcum & Iacobum

*Paysiers.* *Weeſ-heeren.* *Quæſtores.* *Scriba.* *Penſionarij.* *Patritia aliquot ſtirpes.*

Iacobum fratres dedit. *Brandia* Ioannem in ordine Senatorio Franciſcum in ſupremo Flandriæ Senatu conſiliarium noſtrâ memoriâ produxit. *Geyſia* Ioannem ſæpius Senatorem modò, olim Conſules & Scabinos, pronuper Iacobum Chiliarcham ſtrenuiſſimum. Ex inſitis ſtirps *Grachtia* M. Prætores Conſules, Caſtellanos olim, noſtrâ memoriâ Galterum Schirueldę Dominum, filijs Ioanne in obſidione Hulſtana an: 1597 deſiderato; & Franciſco Equite Ieroſolymitano felicem eiuſdem nominis Maelſtedæ Toparcham, & ſæpius hîc Conſulem. *VVallia* Prætores Præpoſitoſque ſæpius, Luduuicum Moſtauiæ Dynaſtam patre Conſulari editum nunc habet. *HaleWinia* Baliuos Præpoſitoſque olim frequenter: noſtro tempore Gubernatorem Sueuegenri Dominum Virum Nobiliſſimum produxit.

Ex intermortuis porrò celeberrimi & in Senatu frequentiſſimi fuêre Scaecchij, Boetelini, Vlienderbecani, Coſterij, Coyegemij, VVielandi, Ruebenij, Heckij de quibus alibi vbi dominatos inuenio, dicam.

Populi pars manu aut ingenio promptior vni ex 4. Collegijs militaribus, aut 3. poëticis nomen dare conſueuit. In priorum genere fama & antiquitate eminet *Georgianum* arcu chabyleo vtentium, cui vt indulgẽtiarum theſauros Pontifex, & poteſtatem extruendi ſacellum an: 1342 Epiſcopus, priuilegia ante annum 1323 Comes largitus eſt; ita nobiliſſimi quique ſuâ honorarunt præſentiâ: nominatim an: 1448. Matthæus D. de Hamme. an: 1455 Rogerius Halevvinius, an: 1478 VVilhelmus Heulæ Baro, an: 1543 Iacobus Hornæ Comes, an: 1527 Reinaldus Brederodius, an: 1559 Gempiaci Dominus, Anthonius de Croy, an 1585 Gilebertus de la Bare Moſcronij Dominus, imò verò an: 1440 ludis Gandenſibus Philippus Dux inſtar gregarij ciuis ſe miſcens cum Collegis hiſce iaculatus eſt. Cur miramur? Virtuti hoc & arti debebatur & dabatur. Hi enim præ alijs conſortibus

*Populus:*

S. Joris gulde.

*Rarum de Duce Philippo.*

Præmia reportata. laudem in ludis, victoriam in certaminibus, præmia in palæſtris meruere. Nominatim an: 1392 Ligniaci Hannonum argenteo ingenti ſcypho, & ſequentis ſæculi an: 40 Gandaui duabus amphoris argenteis, an: 22 Athi, 16 Virouiaci, & Audomaropoli, 18 Arkegemij ad Lizam & Iſegemi, 43 Brugis, 80 Dami primum collegis aliarum vrbium præmium præripuere, aliàs an: 13 Ipreti nauem argenteam 7 marcarum pondere, & ceruum parem auratis cornibus Inſula an: 18 ſcyphum quaternis deauratis inſiſtentem leonibus Bapalmæ Arteſiorum, & Ipreti ſcyphum elegantem, 16 Ipreti ſecundas, 34 Minariati, 59 Louanij, 64 Gandaui, tertias abſtulerunt.

Alterum *Collegium Sebaſtianæum* 40 virorum arcu corneo certantium ante annum 1400 floruit: & de more ſolet in Curiali diebus feſtiuis rem diuinam curare, & audire, priuilegijs an: 1424 ornatum, & præmijs Condati Hannonum an: 1487, Louanij an: 1553 & Brugis an: 1434 ſummo duarum amphorarum è ſolido argento, & Niuellæ cingulo argenteo an: 48 Falcoburgi ſummo, 62 Brugis, 71 Roſſelariæ 41. Berchemi ad Schaldim, 46 Ipreti, 83 in fano Leodegarij, 94 Meninis, 1500 Lannoyæ 1459 Giſtellæ, Virouiaci, Dadiſaliæ decoratum.

*Tertium Bombardiorum*, etſi paulo poſt annum 1500 extitiſſe conſtet, tamen principis diplomate an: 1511 demum eſt munitum, ſicut *Quartum gladiatorum* an: 1553 leges à Senatu accepit, hoc D. Adrianum, illud Barnabam peculiariter colens. Acuendis porrò ingenijs Rhetorum contubernia an: 1516 à Iprenſibus laudata & recognita fuerunt.

Rhetorijcken. Quorum *Barbatiani* an: 1427 florebant cum legata eis certa pecunia, an: 1474 Sacellum adornabant cùm ab Epiſcopo indulgentias ſubſidiarias obtinuerunt, ſolennia in ludis præmia adepti Brugis an: 1431, Sluſæ an: 1441 Aldenardæ 1462, Tenerę-mondæ etiam & Mechliniæ poſt-modum;

*Antho-*

Digitized by Google

*Anthoniani Fontanenſes* an: 1510 confirmati, aliàs ex vetuſtioribus reputati, & anno 1553 Hondſtotæ, 1540 Aldenardæ victores. *Cruciani* ad extremum priores anno 1451 Brugis reperiuntur an: 1517 prima honorati laureâ reuertiſſe. Præter quæ ſunt augendæ pietati ſodalitia ad honorem V. Euchariſtiæ, Deiparæ, Martini, Cæciliæ indulgentijs ornata annis 1518, 40, 60, 73.

Ad rem ſacram quod attinet, Chilpericum Francorum Regem an: 578 Craſmaro Epiſcopo Tornacenſi *fiſcum Regium in Tornaco* cum aliqua iuris dictione in Flandris dediſſe tradit Meierus conformiter Ariſino Tornacenſi. Vnde amplius liquet Luduuicum Pium Imp. altaria 12 inter quæ primùm *Corturiacenſe* Epiſcopo ad augendum dotem Canonicorum tranſſcripſiſſe magnarum poſtea litium inter Comites & Epiſcopos datâ occaſione, his ius, illis poſſeſſionem mordicus tuentibus. Tradiderat quidẽ illa Epiſcopus Comiti an: 1027 ſed ad tempus Simon Epiſcopus an: 1128 nihil intentatum reliquit vt in integrum reſtitueretur, fretus etiam tam Regis quàm Comitis authoritate, ſed contranitentibus ijs, qui dicta altaria poſſidebant nihil effectum. Comes enim manu & potentiâ melior retinuit, compenſato tamen Epiſcopo in communionẽ patronatus Canonicalis recepto. Balduinus quippe Conſtantinopolitanus Comes aucto Caſtri veteris Sacello, quod nunc in domum capitularem eſt verſum Collegium 12 Canonicorum fundauit cum Decano, dotauitque cenſibus & patronatu Eccleſiæ Parochialis, mediocriter, Ioannâ & Margaretâ filiabus voto exemploque paterno liberaliter reſpondentibus: & reperitur an: 1348 Comes huius Eccleſiæ miniſtros ab acciſia oneribuſque ciuium exemiſſe. Parochialis, quam dico Præſuli Turonenſium Martino ſacra, B. Eligium creditur habuiſſe authorem an: 663 Curtraci Apoſtolum cum Amando iure habendum. Latè ad meridiem in agros extenditur, duos habere

*De re ſacra.*

*Tornacenſis diœceſis.*

*Collegiata D. Mariæ.*

habere ſolita (quales Ianſenius & Simonius ad Epiſcopales in Flandria cathedras euecti) Curiones. Beatus enim Amandus circa Lizam oratorium conſtruxiſſe, quod hodieq; viſitur, & Fratres ibidem collocaſſe *Hoſpitalitatem* curaturos legitur, & eſt hodieque *Præpoſitura*, appendix Abbatiæ Eluonenſis, vbi extat Clementiæ Comitis diploma dantis *Hoſpitibus S. Amandi Comitatum de Bonarda (* bonam ſiue fertilem terram ſonat *) iuxta Curtriacum*, qui complectitur non mediocrem agri trans Lizani portionem.

*Franciſcani* Ad cœnobia quod attinet, *Franciſcanum* virile cœpit an: 1455 authoritate Calixti III. & Philippi Ducis fauore lapidem auſpicalem pangente Gulielmo Halevvinio, fundo per Ioannem de Vriendt donato, impenſarum portione bona per Iuanum Geys, Gulielmum & Martinum Noppe, officinis & clauſtro ciuium eleëmoſynis breui adornatis, Templo per Gulielmum Barellis ex Minorita Tornacenſi Sareptanum Epiſcopum dicato, quod furore an: 1578 vaſtatum ſacris an: 82 ſequenti eſt reſtitutum, & incendio an: 1603 cum toto cœnobio abſumptum, mox ciuium nũquam ſatis laudandâ munificentiâ reparatum, à Iacobo Blaſæo iſtiuſmet conuentus olim religioſo, demum Namurcenſi, nunc Audomarenſi Epiſcopo eſt dedicatum.

*Dominicani.* *Dominicani* Inſulenſes an: 1545 Sacris concionibus hîc vacantes ædes acquiſierunt.

*Patres Societatis.* *Patres Societatis* an. 1580 aduenerunt, datæque ædes, ſeptennio poſt, & Sacellum S. Spiritus cum Gerontocomio ſenibus in plateam Caſtri tranſlatis; auctum deinceps ædificijs collegium aſpirante Senatus munificentiâ non vulgari, & an: 1607 noui templi iacta fundamenta. Alterius porrò ſexus, vt Abbatias binas foris vbi cœperunt deſcribendas, *Beginaſiſt.* prætercam, in Vrbe viſuntur *Beginaſium* vetus ante annum 1241 cum dono Comitis domum & ſolidos aliquot obtinuit, inchoatum, quod à Canonicis & Senatu anno 1250

ſtatuta

ſtatuta quædam accepit:exuſtum à Gallis an:1303 eleëmoſynis fidelium reſurrexit. Regulares in *Sinay* ( malè enim vulgus *Ston* vocat ) cœperunt auctore Petro Heeſe viro coniugato, qui ſuperiorum permiſſu euocatis tribus Franciſcani ordinis Virginibus Aldenarda domum ſuam in platea Caſtri an: 1429 aſſignauit ipſe poſtea in monaſterium Audomarenſe ſe concludens. Virginis autem an: 1432 acquiſitâ monaſticis vſibus cõmodiore domo in *Neueldrieſch*, Cœnobium ædificare cœperunt ſub patrocinio Decani & Curionis Curtracenſis, qui *matres* eligebant ſiue conſtituebant, donec an: 1447 impetrarunt numerum ſuum & locum augendi, & Confeſſorem proprium aſſumendi poteſtatem. Templi fundamenta an: 1494 iacta ſunt Ioanne Geys Præpoſito primum lapidem ponentę; dedicati 21 Nouembris an: 1502. Et vtebantur coloris cinericei togâ & pallio, capitegio autem humerali nigro, donec an: 1504 Præfecta Amaldina Snellaerts læthaliter decumbens cum bona ſororum parte ſuſcepit regulam D. Auguſtini, pluribus annis vſa Priore Cœnobij Oigniacẽſis religioſo, & Viſitatore Priore Viridis Vallis. *Franciſcanæ* Tertiariæ nunc ægris operam locantes, olim mendicantes, debent prima ſua initia Græｇorio Hoochſtratano Paſtori ædis Martinianæ an: 1417 domum cum omni ſupellectile leganti. Tranſtulerunt porrò ſe an: 1433 in ædes ab Egidio de Tolnare acquiſitas, vbi an: 1473 Sacellum exſtruxerũt fuſcis amictę. Virgines *Hoſpitale* opulentum D. Virginis curantes, ægriſq; & peregrinis ſubſeruientes regulam à Ioanne Epiſcopo Neruiorum acceperunt peculiarem, & inſtituto iſti accommodatiorem, prioris anno 1210 cùm à Comite Ioanna 100 ſolidos annui reditus acceperunt. Cùm autem an: 1325 Hoſpitale deuaſtatum eſſet, Comes trecentas libras Pariſienſes an: 1328 ad reſtaurationem inuenitur contuliſſe, quas ciuitas ei debebat. Prioriſſa votis Virginum & inter-

*Synai Cœnobium.*

*Tertiariæ.*

*Hoſpitale.*



Digitized by Google

uentu trium-virorum à Comite, Epiſcopo, Senatu ad gubernacula peculij huius domus electorum deſignatur, ferè claris orta natalibus, & in locum demortuæ alicuius Virginis alternatim Senatus & Priorifſa aliam ſurrogant ex lege arbitrij per Comitem an: 1368 lata.

D. Nicolai. *Hoſpitalariæ* 8. numero *D. Nicolai* peregrinos excipientes, & aliàs erudiendis puellis, operaq; manuariam rem facientes ad Sacellum olim à ſodalitio S. Nicolai ſtructo fundatæ à Daniele VValemhem 30 raſerias frumenti annuatim legante an: 1359 ad opus Xenodochij probante Philippō Epiſcopo an: 1372 dirutum bellis an: 1400, & incendio an: 1488 mox reſtauratum, auctum nouiſſimè in hanc formam coaptatum.

S. Georgij. Præter hæc autem Xenodochia ſunt D. Georgij à Sodalitio eiuſdem tituli ciuium olim inſtructum, iuxta Sacellum vbi rem diuinam fieri permiſit Epiſcopus an: 1342.

Eligij. D. Etiam Eligij pone Sacellum vetus eidem Diuo nuncupatum, quod anno 1308 floruiſſe monumenta loci declarant, Senatu an: 1325 de prædio quodam eius diſponente.

Leproſaria. Leproſaria deniq; Sacellum à clade nuperi belli recenter reſtitutum, vetus illud an: 1502 ſacris reſtitutum an: 1297 dedicatum, contingentia Virgines habere ſolent infectis ſubſeruientes, ſed ante 2 ſæcula eis amotis ſubſtituti ſeculares, quorum directioni an: 1451 Senatus cum Capitulo quædam ſtatuta concepit.

Gerontocomia. Nec tacenda Gerontocomia vtriuſque Sexus, viduarum quidem ante annum 1387 (cùm earum in rationibus Vrbicis mentio) viduorum recentiori memoriâ ordinatorum; domumque & portiones cibi à menſa eleëmoſynaria habentium.

Scholæ. Nec Scholæ pauperum, (vbi educantur docenturque & veſtiuntur, donec per ætatem & artem ſibi ſufficiant) puerorum pronuper cœptæ, puellarum an: 1608 Gulielmo Braye

Digitized by Google

Braye Presbytero & Ioanne Dondelet primis fundatoribus, illo domum, hoc dotem aſſignante aliquam. Nec Bibliotheca inſignis teſtamento Franciſci Potens Archipresbyteri & Curionis legata Senatui, nunc Patrum Societatis & Franciſcanorum vſui fructui tantiſper permiſſa. Nec Sacella Deiparæ ad Nucem, ad Vlmum, ad VVayenbergam, ad Puteum: Hieroſolymitanum in ſuburbano, Curiale vbi an: 1434 Sacra peragi permiſit Pontifex, aliaque id genus à pijs ciuibus ædificata, etſi temporis rationem maiorum incuria, bellorum iniuria nobis cognitam non fecerit.

*Bibliotheca*

*Sacella.*

Videndum nunc quibus gradibus ad fortunæ faſtigium, quo fato proſtrata aliquoties reſpublica nunc inter Flandrię primas effloreſcat inuitantibus aduenas priuilegijs, meritis virtute aut tolerantia.

Primum itaque cum Philippus Comes an: 1190 Seruos omnes ſuos infra opidum Cortracenſe manentes Eccleſiæ Tornacenſi donaſſet liberos futuros perſoluto annuatim cenſu 2 denariorum, & in quolibet cõtractu, 6, in morte 12, ita vt nemini liceat mortuam manum ab eis exigere, nec vllo caſu bona partiri, addit: Seruum cuiuſcumque Domini intra terram agentis poſt 40, diei extra habitantis poſt anni habitationem nemine reclamante Cortraci liberum, & municipem effici, ſoluto cenſu prædicto. Ex eo itaque tempore confluente inſigni multitudine ciuium duplex eſſe cœpit ratio Vrbicorum & Foraneorum quorum hi 3 aſſes annuatim pendere ſoliti, quos an: 1570 Rex opido tranſſcripſit 40 Florenorum milibus. Et ſubijciuntur vtrique legibus, gaudent immunitate opidi, etiam alibi in agro degentes, tam ipſi quàm eorum liberi, adeóque ſi quiſpiam extra ditionem Cortracenam migrare, aut bona ad non ciuem deuolui contigerit, decimam ærario applicari mos obtinet, freta his legibus ciuitas Comitibus deinceps debitam eo magis fidem & obſeruantiam non deſijt rependere, quæ Ferdinandum

*Priuilegia Vrbis.*

*Reſtrictum id ad ſeruos Flandros & 40 dies producti ad annum, poſtea.*

Comitem

Comitem an: 1211 à Gandenſibus reiectum humaniſſimè excepit, etiam graui ſuo diſpendio. Raſſegemius enim & Aldenardenſis Nigellanum Gandenſemque æmulos coactâ Gandenſium tumultuaria manu intercipere parantes Cortracum ex inſperato irrumpunt, vix elabente Duacum Ferdinando, & Gandenſibus, ne nihil egiſſe viderentur opidum diripientibus, quod biennio poſt non admodum, teſte Meiero, munitum Gallorum Rex inuaſit, diſpoliauit, incendit; captis Daniele Markelienſi & Philippo VVotinio opidi Præfectis prædaque Inſulas auectâ. Sub hac calamitatum gemuit pluribus annis, facultate reſpirandi continuis bellorum motibus ademptâ. *Pannificium* Circa annum porrò 1268 inuecta pannificij commoditas, & circa annum 1290 adiectæ loco huic contra Gallos Gallicanam Flandriam tenentes limitaneo munitiones aliquid ſpei fecerunt, ſuccurrente Principum beneuolentiâ. Qui quo loco ciues habentes abundè docuerunt *Quanti Comes opidum hoc fecerit.* Guido quidem an: 1297 Ioannem filium eis aſſignans Gubernatorem Virum fortem, ſed Regio 60000 exercitui reſiſtere non valentem. Vnde captum opidum & præſidio Arceque fortiſſimâ, vt dixi, firmatum, an: 1302 à Guidone Namurcæo Comitis Filio Gallis ereptum, vidit memorabilem illam & Gallicæ nobilitati tum, Cortraco poſtea luctuoſam pugnam Groeninganam, *Pugna Groeningana.* Arce Comiti deditâ, & an: 1315, (teſte Ioanne Beka in Chronicis Hollandiæ) Rege Gulielmi Comitis & Hollandorũ, Hannonumq; auxilijſque ſtipato obſeſſa in vanum. Quorum meritò Luduuicus Comes rara eis & exorbitantia dedit priuilegia litteris an: 1324. Iulij 4 datis confirmans inprimis Senatum & *Mutata Senatus hac forma.* immunitatem conſuetudineſque antiquas. Statuens vt Prætor annuatim habeat apud Senatum generales verificationes noxarum diu cõmiſſarum, idemq; aut alius Comitis *Mutatum id poſtea.* iuſtitiarius perſonam aut rem ciuis apprehendens teneatur dimittere præſtitâ cautione, ciuemque iniuſtè detinens requiren-

requirente Præpoſito Senatus mox libertati reſtituere, iuſtitio, dum id factum ſit, futuro, & ſi reus ſiue vinctus ius implere teneantur omnibus poſthabitis Scabini id adminiſtrare.

*Carceres an: 1564. Vrbs à Regeredemis 1400. ſlorenis.*

Nec ciuis conuinci aut conueniri poſſit de crimine iuſſu ſuo per alterum patrato, nec perſona rés ve alicuius niſi coram Senatu domeſtico ſiſti, mulcta 60 librarum Pa: iudici poſt inhibitionem Senatus, cauſam proſequenti irrogata, & illas inhibitionis literas per Caſtellaniam & etiam Virouiaci in Dominio Gulielmi Neuelaui locum habere ſententia arbitraria an: 1364 pronunciauit.

*Abrogatũ hoc vtpote iniquum.*

Licere autem è diuerſo externum debitorem per duos ciues imploratos, donec aduocatur ſatelles publicus, detinere, & implorato renuenti 10, externo reluctanti aut aliàs manum ciuibus inferenti 60 lib. mulcta infligitur. Et ſi ciuem à ciue lædi per malitiam contigerit, lęſuſque *communitatem* inclamet, opem ferens quidquid patrarit impunè ferret, negans 100 libris luit, iniuſtè auxilium implorãs patratorum per eos reus & ſeptennio exul denunciatur.

*Abrogatũ id poſtea.*

Ciuem vitâ priuans aut membro mutilãs igne aut mulctâ iudicio Senatus pro qualitate delicti puniretur. Raptor aut ſtuprator ciuis centum annorum exilio ſub pœna capitis & bonorum fiſco addicendorũ, Matrimonio cum filia contrahendo renuncians ſeptennali exilio aut membro mulctaretur. Nec ciuis ad duellum prouocari poſſet, idemque Comiti in bello ſeruiens, ab omni alia ſeruitute (exceptâ feudali) abſolueretur.

*Supplicium ignis in exilium pòſt mutatum.*

Liceretque ad diſſoluendum æs alienum Senatui promiſcuè tributum tota Caſtellania indicere. Magna hæc & rara, ſed ſine quibus opidum difficulter potuiſſet Martis & Vulcani iniurias ſuperare. Ecce enim ſequenti mox anno dum Comes Curtraci ſe armans, vt hoſtes Brugenſes opido incumbentes longiùs remoueret, ſuburbanum vltra Lizam

*vetitum id poſtea niſi accedat placitum particulare Comitis.*

d incendit

incendit Aquilone ignem vltra muros propagante, magna ædium pars abſumpta eſt, Comeſque in captiuitatem abductus Brugam.

*Varia Opidi calamitates.*

Et quamuis Ioannes Namurci Regulus Comitis nomine Præſes Flandrorum mox Cortraci aliaque inter Schaldim & Lizam Caſtella occupans præſidijs firmaſſet; tamē ſuperueniens Robertus eius nepos Brugenſium Dux cum copijs Flandriæ occidentalis, miſſis Cortracum Sigero Ianſſonio, Lamberto Edio, Paulo Boclâ recuperauit deperdita. Succedentibus porrò ſeditionibus & regnorum Anglici & Gallici viribus in Flandriæ arena concurrentibus imprudentiores Cortraceni Arteueldæ an: 1339 adhæſerunt, & Anglis opem tulerunt an: 42, legatos ad Anglum an: 45 miſerunt, cædem Arteueldæ excuſatores. Ita vt non parùm his velut næuis deformata ſit reipublicæ facies, quam tamen pannificij priuilegio an: 1348 Fullonibus confirmato celebritas ab egeſtate vindicabat, & imò animis, opibus augmentabat.

*Seditiones.*

Quod me docuit ſeditio an: 1351 cum Galterum D. Halevvinium tyrannidis in plebem culpare, & exemplo aliarum Vrbium in Præfectos auſi fuerunt inſurgere. Et ſententia an: 1464 inter opidum & Caſtellaniam lata, vbi allegatur in ſubſidijs & Collectis precarijſque Comitum illud nonam duntaxat partem, hanc octo reliquas pendere ſolere, & cum à 14 retro annis notabiliter illud fuerit locupletatum definitur duas deinceps ex nouem portiones pendere debere.

*Incrementum fortunæ opidi.*

Oppugnatio item opidi an: 1352 à tribus aciebus Gandenſium incaſſum facta, incenſo paſſim ſuburbio penſata. Quæ tria conuincunt munitum, opulentum, populoſum tum fuiſſe opidum, ex affluentia porrò rerum in plebe nata inſolentia, cùm frequentes inueheret abuſus Luduuicus Comes an: 1378 poſt Roſebecanam pugnam victor omnia ſupradicta an: 24 priuilegia audaciæ & iniquitatis frequenter incentiua abrogauit, quod primū corruentis reipub-

Digitized by Google

reipublicæ claſſicum,& ſecutę deſolationis fuit portentum. *Abrogata priuilegia.*

Anno enim 1380 iunctos Gandenſibus Dixmudam obſidentibus Cortracenſes apud VVommam Comes fudit, opido deditione,aut iuxta Oudergeſtium, vi capto, lectioribus ciuium vſque ad 200 in cuſtodiam abductis:& cùm Principi ſuo ciues conciliati in obſidione Gandenſi militant, magno numero cæſi, agro per hoſtem bis opido tenus vaſtato, ſuburbanis incenſis molendinis an: 84 per Gandenſes omnibus inter Aldenardam & Cortracum exuſtis. Exacerbatos ob populationes paulo antè in agro Gandenſi factas, interfectum præcedenti anno Præfectum Petegemenſem cum parte cohortis ab Agricola iſthic collocatæ, ciueſque frumentatum egreſſos inſidijs nobilium cæſos nonnulloſque captos Cortraci ſupplicio affectos.

Ad quæ pia coronide acceſſit an: 1382 Gallorum irruptio, cæde,rapinis,ferro & igne omnia replentium. Mordebat eos cladis Groeninganæ memoria, & quòd eius ludibrium in triuio à pueris decantari, vltra 500 auratorum calcarium paria in templo ſuſpenſa didiciſſent; itaque exacerbati fortunas omnium diripuerunt, domus, quatuor exceptis, exuſſerunt, ciues abductos cum iactura totius pæne patrimonij vitam redimere coëgerunt.

Ablatum etiam tum à Burgundo horologium longè ſplendidiſſimũ; profanatum à Britonibus Sacellũ Comitis. Ita vt ad extremas Vrbs redacta anguſtias vigere, imò viuere deſijſſet, niſi miſertus tot calamitatum Comes veteribus eam priuilegijs an: 1385 reſtituiſſet, ſublatis tantùm aut mutatis quæ iniquitatem ſapere, aut ſeditiones parere poſſe videbantur, ſuperiùs ad marginem à me citatis, & Ioannem Ieumctium Virum Nobilem & ſtrenuum Vrbi euerſæ præfeciſſet, qui operæ pretium facere ratus contra Gadendenſes & Anglos eam reſtaurat, & munit, ſucceſſu votis reſpondente. *Reſtitutio priuilegiorum.*

 Creuit

Digitized by Google

Creuit enim operibus publicis vt ſupra tetigi, munitionibus, & opibus, attigitque felicitatis ſuæ faſtigium ſub Philippo Bono Duce. Reſpublica legibus munita & priuilegijs ornata.

Pannificiũ. Pannificium telæ ſubtilioris à Ioanne Duce an: 1408 priuilegijs munitum, quæ nupero incendio perijſſe an: 1401. fatetur Dux, idemque liberum fulloniæ opificium an: 1348, Lanionum an: 1377, Piſcariorum ſub idem tempus factum agnoſcit.

Nundinæ. Nundinas inſuper equorum an: 1365 impetratas tridui incipere ſolitas Dominica ante feſtum Laurentij, tranſtulit in poſtridie Bartholomæi.

Bona item naturalium ciuium ad proximos à matre hæredes deuolui an: 1454 & aliàs pronunciauit, idque ex conſuetudine Cortracena.

Populi frequentia. Populus numero etiam creuit fidem faciente Bullâ Eugenij Papæ datâ Florentiæ an: 1434 vbi committitur Decano Brugenſi cura tres Parochiales in Vrbe inſtituendi, eò quòd vna hactenus exiſtens impar eſſet oneri 25000 perſonarum in opido, vt ferebatur, exiſtentium.

Anno autem 1464 extitiſſe textorum ſena milia, docuit me indiculus ad D. Eligij repertus. Ædificiorum autem ante incendium ſub Maxæmiliano Rege ferè tria millia.

Virtute etiam bellica valuit & Principibus inſignem nauauit operam Ioanni quidem Duci an: 1410. in Armeniacos militauit *egregia Cortracenſium manus.*

Virtus ciuiũ. Philippo obſidenti Caletum an: 1416 eoſdem Gerardus Giſtellanus adduxit. Eoſdem an: 1452 Comes Stampanus in Gandenſes eduxit, & manum conſerere coëgit, Vrbe per Bellomontanum Burgundiæ Mariſcallum defenſâ, Ecloniaque per præſidiarios fuſis Gandenſibus & fugatis exuſtâ.

Et aliàs ſæpe, imò ſemper Ducibus Burgundiæ præſto

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt ciues, vtpote armis inſigniter exercitati, & fide probatâ.

Cæterùm ſecularis videtur duntaxat iſte flos fuiſſe, vileſcente pannificio, quod obſeruare licet factum poſt occupatam an: 1487 à Gandenſibus Maxæmiliano Regi rebellantibus Vrbem, diripiendam, niſi pretio 12000 florenorum militi numerato præueniſſet, munitum interim præſidio 400 ſub 4 Ducibus Gandenſium, & interiecto aliquot annorum tempore exuſtis per eoſdem Gandenſes ſuburbijs, opidum cœpit ad ruinam & deſolationem vergeri, quod in priuilegijs anni 1496 & 98 & 99 narrat Princeps, permittens in locum telæ ſubtilioris, cuius nundinatio euanuerat aliqua genera rudioris pannificij introducere cuius ſtatuta an: 1525 aucta ſunt à Senatu. idemque litteris an: 1529 ad reſtaurationem opidi bellis Gallicis mirum in modum afflicti decernit illud grauandum 1600 libris groſſorū erogandis in emptionem lanarum Anglicarum pannificibus diſtribuendarum, operaturis commodo publico duplici, ex lucro pannorum venditorum & reſtaurando pannificio reſultante. *Vaſtatio opidi.*

Sed nihil illo effectum, nec aries iſte erat ad egeſtatem expugnandam. Nouum itaque genus indulto Principis inuectum linificij, quo famam per vniuerſas mundi plagas acquiſiuit Cortracum.

Lineis quidem pari tenacitate & ſubtilitate operantur etiam aliæ Vrbes, ad candorem etiam telæ ſoli expoſitæ accedunt aliæ, nemo tamen ad artificium. Intexunt enim non tantùm inſignia Regum & Principum animalia, flores, ædificia, perſonas, verùm etiam rerum geſtarum hiſtorias, venationes, pugnas, triumphos, & quod omnem ſuperat induſtriæ humanæ captum, territoria ſiluis, & pratis, agris, hortis, collibus, planitie diſtinctâ tanto artificio, vt vix penicillo Apelles quiſpiam meliùs delineare, tantâ *Laudatum linificium*

varietate vt pæne quicquid rerum creatarum oculus poſſit diſcernere manum iudices poſſe imitari; tanto candore & gracilitate, vt velut natantes niueo æquore luxuriantis naturæ opes contemplatus, intendentis oculi aciem mireris hebetari.

Ad harum porrò aliarumq; mercium diſtractionem Carolus Cæſar addidit ſuperiùs a me nominatis annalibus, nundinis alteras octidui circa Paſcalis litteris anno 1530 da-

*Nundinæ.*

tis. Dedit & alias immunitates non contemnendas, ita vt eius æuo nouam & ciuitas & reſpublica faciem induerit, vt ſuprà docui.

Bene profectò cum Cortracenis fortuna ageret, ſi non felicitatis curſum belli noſtri ciuilis contagio interciperet. Reſtiterant ſanè viriliter ciues nouatoribus ab anno 1566 multos exilio mulctantes, & cohortem 100 virorum ad tuitionem opidi conſcripſerant, & ſuo ære fouebant, teſtibus Regijs hac de re litteris acciſiæ alicuius conſtitutionem indulgentibus ad annum vſque 1577, cùm Gandenſes miſſo trecentorum agmine, fauore quorundam eiuſdem farinæ ciuium opido potiti, primùm vt ſolent, templis & exercitio Catholicis relicto, mox duabus aucti militum centurijs templa & monaſteria eiectis Eccleſiaſticis, inuadere, ſpoliare, imaginibus contractis profanari cœperunt.

Viſi quidem poſt aliquot menſes edicto vtriuſque religionis exercitium reſtituere ordinis; ſed breui numero potiores Caluiniani orthodoxos denuo excluſerunt.

AEgrè id iugum ferentes boni plerique anno ſequenti, iunctis capitibus aduerſarios opprimere cogitabant, ſed re proditâ bene multi patriâ excedere compulſi.

*Geſta his turbis breuiter notata.*

Interim miſſus à Gandenſibus Gubernator Pottelbergius & 18 Viri rempublicam pro libidine adminiſtrantes, ſeriò muniendæ Vrbi intendebant, conſcriptâ ad operas ruſtica multitudine, quibus propemodum abſolutis inter alios

Digitized by Google

alios præerat Ioannes du Gardin frater Rogerij Caſtellani Moſcronienſis.

Hi fratres tot popularium ſuorum fortunis exutorum & exulantium miſerti, collatis capitibus facillimum capiendæ Vrbis aditum per aggerem inter Caſtrum & flumen ( qua deforis via patebat ad aream vſque Caſtri, nullo obſtaculo præterquam aggere, & foſſâ exiguis ad pedem magnæ turris, & portâ ſimplice ad aream ) Alennio Chiliarchæ peditum oſtendit, & imò Ioanni de Corbeſin ſtrenuo militi ruſticanâ veſte per noctis ſilentium loca pertentanti fidem faciunt.

Venit itaque Moſcronium Alennius ſe comparans, & impetratis à Marchione Robaſio 500 militum expeditâ manu & centurijs Equitum ducibus ( ad intercipiendos Harlebecâ fugituros ex Vrbe Gandauum ) cum fratribus Iardinijs ad opidum tendit, ſcalis, aſſeribuſq;, & ſimili apparatu comportatis, ſed niſi fortuna deuſque fauiſſent exiguum facturus operæ pretium. Illuſtri enim per lunam nocte inſidias ſenſiſſent excubiæ, ſed milites errore viarum decepti ante crepuſculum diei non aderant. Atque ne tum quidem feſſi latere diu potuiſſent, niſi ingens repentè nebula proſpectum impediret.

Præmiſſi ergo triginta admotis ſcalis & aſſeribus aggerem foſſamque ſuperauerant, ſtationario interempto portam patefacturi, cùm aſſer pondere irrumpentium ruptus cadit, & ſtrepitu vigiles & præſidium ad arma excitat. *Vrbis recuperatio.*

Pugnatum in foro acriter & dubio Marte, nunc his, nunc illis cedentibus & cadentibus, & periclitabantur noſtri, niſi bono Alennius mandaſſet portam Inſulenſem quocumque tandem modo aperire.

Quod factum à Rogerio, repertæque palantes, Ducis defectu Harlebecam non profectæ Equitum turmæ ſuæ admiſ-

admiſſæque in Vrbem omnia turbantes victoriam ſtabiliuêre, deſideratis hoſtium circiter 50 viris, noſtrorum perpaucis præter Alennium ex vulnere ictu lapidis contracto haud multo poſt mortuum.

Et ad rei memoriam 28 Februarij an: 1580 patratæ votiua annuatim celebratur ſupplicatio, manſitque ciuitas licet ſæpe tentata, à tumultuantibus inſeſſa ſæpius, ſæpiſſimè afflicta Religionis & Regis obſeruantiſſima.

Anno enim mox ſequenti 81 legio VValonum, quòd non ſolutis ſtipendijs præſidio excedere iuberetur, tumultuata impendijs ciuium aliquandiu ſuſtentata eſt, donec ære conflato à vicinis menſtrua aliquot ciuitas eis perſolueret à Principe poſtmodum reſtituta.

Biennio autem ſequenti cùm omnis ruſtica multitudo huc profuga domibus, imò antris non ſufficientibus, plateatim etiam ſub dio miſeram vitam traherent, morbi & peſtis crudeliter graſſata ad ſexaginta hominum millia fertur abſumpſiſſe, duobus nouis cœmeterijs (quorum vnum hodieque ruſticorum vocatur) dedicatis, vbi cateruatim foueis cadauera inijcerentur.

Nec multò pòſt Pochepotius Gallorum Dux Brugaſque contra Regem gubernans conſideratâ ſitus & munitionum qualitate, præſidijque ad defenſionem tanti ambitus raritatem (Tres enim duntaxat duce Domino Sueuegemio cohortes erant) Vrbis occupationem ſpe deuorauerat, miſſis 2 agminibus eam à meridie aggreſſuris primùm, mox ipſe cum tertio validiori aduerſa parte impreſſionem facturus.

Monitus à Præfecto Caſtri Anglomonaſterienſis gubernatore ſuos noctem inſomnem fallere iubet, & hoſtē prçſtolari ſub auroram autem nemine comparente ad quietem patitur ſe conferre.

Sed ecce longè aliter ac decretum fuerat aduolans hoſtis, ad por-

ad portam Brugenſem ſuburbia occupat, mœnia, ſegniùs defendentibus præſidiarijs, ſuperat, vrbe potiturus, niſi pro aris & focis certans plebecula pedem retroflectere coëgiſſet.

Anno autem 1590 Vigilia B. Mathiæ ſedecim cohortes Ioannis Mauricques in ſuburbano hibernantes ſuſpicati miſſos à Parmenſi Commiſſarios vacuos veniſſe, vrbem, ſine ſanguine tamen, inuadunt, & accedentibus 8. Hiſpanorum ſignis in opido Menenſi hærentibus ſtipendia flagitabat per 5. menſes à ciuibus denique collecto à vicinis & mutuato ære in ſingulos hebdomatim diſtributo ſuſtentati, & in officio contenti, qui aliàs exactionibus hebdomadarijs agrum, Vrbeſque circumiacentes, vt ſolent, erant exhauſturi. Atque hæc ſunt varia Cortracenæ ciuitatis in & decrementa breuiter ob oculos poſitura.

Ad ſuburbanum quod attinet, in eo præter Sacella aliquot viſitur Abbatia Ciſtertienſis inſtituti à viridario nomen adepta, illa an: 1238 per Ioannam & Agnetem filias Valteri Rodeburgici intrà limites Curialis Marcanæ fundata, ſed à Beatrice Ioannis Ducis Brabantini filia Gulielmi Dampetræi vxore an: 1285 huc tranſlata. Præfuit autem prima hîc Eika, deinde Agnes de Rodenburch, quæ 3. Virginum ſodalitij Vrſulani capita cœnobio reliquit, Maria de Leſtines, quæ cor & inteſtina Margaretę Comitiſſę plumbeo clauſa feretro hîc ſepeliuit.

Maria de Leſſine claris orta natalibus. Iſabella de Houplines quæ Sygim R. Maioricæ in prœlio Groeningano: cæſum in capitulari loco ſepeliuit.

Beatrix de Klokettes, quæ Abbatiam muro cinxit. Agnes de Leſtines, quæ templum auctum curauit dedicari. Maria Patine œconomiæ laudem adepta, cuius æuo allata



Digitized by Google

hucportio candelæ miraculoſæ Atrebat. Margareta Molts defuncta an: 1384, Margareta Papentrijce an: 1409, Elizabeth à Duaco an: 1444 Margareta de Duaco an:1463 Catherina Buſlchia an:1507, Elizabeth Sclercq, an 1518. Ioanna Goeſſins an: 1532, Beatrix Beuers 1535 Chri-ſtophora Barbenconia an: 1546, Cæcilia Denys an: 1573, Maria vander Beke, quæ exuſto an:78 cœnobio Virgines in Vrbem traduxit, ab an: 83. Elizabeth vanden Berghe, templo, dormitorio, officinis in Vrbem ſtructis an: 1608 neptem dignitatis hæredem & virtutis reliquit Mariam de Pickere feliciter præſidentem.

F I N I S.

Digitized by Google